

Kapsel 78 N 12 [86]  
X3008167

V I R O

MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO ET  
EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. JOANNI BOHNIO,

CONSILIARIO ET ARCHIATRO REGII  
THERAPEVTICES PROFESSORI PVBLICO, ORDIN  
SVI DECANO, ACADEMIAE DECEMVIRO, VTRIVSQVE  
PRINCIPVM COLLEGII COLLEGIATO, PATRIAE  
PHYSICO ORDINARIO,

AC

TOTIVS VNIVERSITATIS LIPSIENSIS

S E N I O R I,

AVVNCVLO SVO PIE COLENDO,

CVM

CONIVGE LECTISSIMA,

CATHARINA SABINA

HÜLSEMANNIA,

SVMMI QVONDAM THEOLOGI FILIA,

NVPTIARVM MEMORIAM

RARISSIMO FELICITATIS HVMANAE EXEMPLE  
QVINQVAGESIMO MATRIMONII ANNO

REPAR. SALVT. M D CC XVIII. XIII. KAL. FEBR.

C E L E B R A N T I

GRATVLATVR

NEPOS EX SORORE DEVINCTISSIMVS

GOTTFR. CHRISTIANVS GOETZIVS, D.

L I P S I A E,

LITTERIS IMMANVELIS TITII



Kapsel 78 N 12 [86]

AK



**F**ortunate Senex, si quid pia carmina  
possunt,  
Accipe laetitiae vota dicata Tuae.  
Ecce Tibi surgit iam quinquagesi-  
mus annus,  
Ex quo felici foedere iunctus amor.  
Quaeque suae vellent alii deprecere vitae,  
Illa Tui repetis tempora longa thori.  
Sic decuit Medicum, sic gloria constitit arti:  
Nec quis eam posthac numen habere neget.  
Hippocrates potuit bis nonum attingere lustrum,  
Exemplo studiis utilis ipse suis.  
Sic sua producunt interdum stamina Parcae,  
Ut solitum superet vita, vigorque modum.

Sed paucis renouasse datum veteres Hymenaeos,  
Paucis haec meruit praemia casta Venus.  
Quam dulce est vna iuuenem traducere vitam,  
Atque vno pariter confenuisse thoro?  
Communes circa natos, paruosque nepotes,  
Pignora victurae laeta videre domus?  
Ancipites vitae casus, fatique minacis,  
Mutua solatur cura, fidesque leuat.  
Sic age, diuinum laetus venerare fauorem.  
Sunt haec propitii munera certa Dei.  
Nunc iterum virides exornent limina myrti,  
Et referat primas aemula taeda faces.  
Ipsa Tuis Hygieia thoris accumbit, & ipse  
Delibat pateras Connubialis amor.  
Aspicit, & iungit laetos Academia plausus,  
Nam colit, & canos diligit illa Tuos.  
Ingens Tu meritis nomen, famaue dedisti,  
Annis, affectu, consilioque pater.  
Et Soceri meminit, quo non praestantior alter  
Assertor purae religionis erat.

Audiat haec, quisquis Phoebi praecepta docenti  
Affixus cupida sedulus aure fuit:  
Edoctusque Tua mortem nunc territat arte,  
Audiat, atque suasiungat & ipse preces.  
Viueret ô Mater, Fratrique haec festa videret,  
Eheu! vicinae funere rapta spei.  
Sed quid ego luctum cieo, cum fausta requirit  
Verba dies, laetis concelebranda modis?  
Matris ego, nostrique vicem nunc gratus obibo  
Sanguinis: hoc pietas postulat officium.  
Ergo damnatos primi, DEVS Optime, voti,  
Ex quo nunc merito gratia multa redit:  
Incolumes porro serua, vegetaque senecta,  
Et videant multo flore vigere SVOS.  
Filius in laudem succrescat dignus auitam,  
VNUS BOHNIACVM sustineatque decus.  
Hanc itidem posthac cum dulci Nata Marito  
Quam celebrat Mater, cernat & ipsa diem!



Kapsel 78 N 12 [86] -  
X3008167

# V I R O

MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO ET  
EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

# D. JOANNES BOHNIO

CONSILIARI  
THERAPEVTICES  
SVI DECANO, AC  
PRINCIPVM C  
PE  
VIATRO REGI  
PVBLICO, ORDIN  
MVIRO, VTRIVSQUE  
GIATO, PATRIAE  
RIO,

TOTIVS V  
S  
AVVNC  
CON  
LIPSIENSIS  
R I,  
LENDO,

# CATHA HÜL SABINA NIA,

SVMMI QVO  
NVPTIA  
RARISSIMO FELI  
QVINQVAGE  
REPAR. SALV  
C  
OGI FILIA,  
ORIAM  
NAE EXEMPLO  
I ANNO  
FEBR.

NEPOS EX S  
GOTFR. CHRISTIANVS GOETZIVS, D.

L I P S I A E,  
LITTERIS IMMANVELIS TITIL



Kapsel 78 N 12 [86]